No 53

Perillustris Domine,

Scripsi non ita pridem ad Nobilissimum filium tuum Ludovicum, misi ipsi carmina quae tum ad manum erant, nonnulla. addidi Psalmorum a me versorum tot quaterniones, quot usque adhuc in publicum prodierunt. ut, per eum mihi rescriberet, an perlata haec sint recte omnia, manibus pedibusque obnixe rogavi. Responsi hactenus accepi ne [illegible] quidem. accepi autem auditione, par filiorum tuorum caetera incomparabilium, in Gallias cum nobilissimo una cognato Doubletio profectum esse; quinam autem [illegible] illi [illegible] ex quadriga tua sint, nondum potui explorare. Caeterum si viro forsan poetae apud poetarum Apollinem vaticinii augurive ullus sit locus, Ludovicum tuum itineris istius esse et socium, et ducem fortasse et se quoque principibus permistum agnoscere Achivis. Nullus enim dubito, quin absque hoc foret Laconica saltem brevitate mihi foret responsurus. Quicquid hujus sit, ad te confugio, et supplex tua numina posco, ut vel per filium hunc, si domi est, vel per alium, vel, si Britannum tali dignaris honore ipse certiorem me facere digneris, litteras meas et recte traditas esse, et quod iis continebatur, ex mente mea rite fuisse acceptum curatumque. Vale Perillustris Domine, ac tumultuariae [illegible] notationi ignosce

Horne 26. Septembr. 1655.

tuus omni nomine

Henricus Bruno

Is qui haec affert, procurator est nostras, ad lites,
nimirum, non ad mea certe negotia, sed ad negotium
hominis hinc alicujus, cujus de capite agi ait comitia.
amicus est mihi, honestus habetur, honesti itaque cau-
sam agere videtur. Honeste itaque pro eo, cujus
innocente, ut affirmat, cliente, apud amplissimam tuam
intercedere humanitatem cujus sui ut re cognita
si vacet, atque explorata, id apud Dnos Deelevium, Dorpiumque
aut etiam, si placet, alios, (nulla etenim de morte homi-
nis cunctatio longa est) in aliena agere
caussa digneris quod actum velles in tua;
id quod ut agas, et ne actum agas, si non homi-
nis, at certe humanitatis caussa etiam atque
etiam, iterum iterumque [illegible] rogo quaesoque

Tuus Bruno

Quando haec scripserim, ex pagina versa apparet.
redditae mihi eaedem sunt hodie ab eodem, cui commiseram
procuratore. Is, quia in Tusculanum te tuum profectum
intellexerat, tradendarum earum quia fructum inde suo
sibi negotio nullum videbat curam nullam habuisse videtur,
res ipsius transacta est. Caeterum quod de nobilissimi
Ludovici meisque rebus praemisi, id ut effectum des
unice rogo. Summus et amicus et poeta Janus
Coolsius, quo haec praesente scribo, se nosque amplissi-
mo prolixissimoque tuo favori commendatos exoptat.
Horna IV. Augusti 1655.

© Koninklijke Bibliotheek
KA 42a, nr. 53
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/5418

© Koninklijke Bibliotheek
KA 42a, nr. 53
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/5418

Mijn Heere

Mijn Heere van Zuijlichem
etc.

In 's Gravenhage
Port.
~~Door [illegible]~~

© Koninklijke Bibliotheek
KA 42a, nr. 53
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/5418